

Prelati et Barones appensione sigillorum nostrorum sub veris armis nostris; nos vero Proceres et Nobiles prefati sigillis prelibatorum dominorum Emerici de Peren Comitis et Palatini, ac Comitis Petri Judicis Curie Regie et Wajuode Transyluaniensis authenticis communiri fecimus) vigore et testimonio litterarum mediante. Datum in campo Rakos predicto quintodecimo die Congregationis nostre generalis antedictae. Anno Domini Millesimo quingentesimo quinto. Vnde nos petitionibus prefatorum Emerici de Hassagh Protonotarii, ac Georgii Castellany, Bernardi de Thwroc et Elie Basnyak, oratorum predicti Regni Sclauonie, fauorabiliter inclinati tenorem earundem litterarum de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali transscribi et transsumpti, presentibusque litteris nostris priuilegialibus inseri facientes memoratis Emerico de Hassagh Prothonotario, ac Georgio Castellany, nec non Bernardo de Thwroc et Elie Basnyak, consequenterque ipsi Vniuersitati Nobilium dicti Regni Sclauonie, volentibus et consensientibus prefatis dominis et Regnicolis, duximus concedendas. Datum loco, termino et Anno inprenotatis.

(Sigillum Judicis Curiae authenticum in zona sericea albi, rubri et viridis coloris, pendens.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 116.

CLXXIV.

Anno 1508. Budae.

Vladislaus Rex SS. et OO. Regni Slavoniae de futura filii sui Ludovici coronatione edocet.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Wladislaus, dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod cum nos sepenumero animo reuoluissimus, quot et quanta bella, discordie et perniciose dissensiones post obitum et mortem Serenissimorum Regum Hungarie Predecessorum nostrorum diue memorie, ob defectum et carenciam Regie masculine sobolis in hoc Regno orte fuerint, in qualemue ruinam desolacionem et periculum per eiusmodi bella et guerras hoc ipsum Regnum deuenerit et inciderit, et presertim in memoriam reduxissemus ea tempora, quibus nos ad hoc Regium culmen suscepti sumus, quot et quam pestiferis bellis tam internis quam externis hoc Regnum ob premissam causam ardebat vsque adeo, quod, nisi diuina ope et fidelium subditorum nostrorum fide ac prudenti consilio eadem illa bella et